

06 12



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER AESTATEM

A DIE XIII. APRILIS ANNI MDCCCLXXIV.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROF. DR. FRID. MICHELIS DE ANAXIMANDRI INFINITO DISPUTATIO.

BRUNSBURGAE.

TYPIS HEYNEANIS.

1874



INDEX LECTURARUM

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. Ios. Bender,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

~~Stadtbibliothek~~
Chorn

AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S

CIVIBUS SUIS

S.

De Anaximandri Infinito.

Ut locum ex ipsis primordiis philosophiae petitem hac scribendi opportunitate oblata retractandum mihi sumerem, Zelleri historia philosophiae Graecorum tertio nuper edi coepta in causa fuit, qui sententiam, qua Infinitum illud, quod Anaximandrum primum tanquam rerum principium posuisse constat, ad meram materiam redigunt, ita jamjam confirmasse sibi videtur, ut de ea re aliter sentire ne liceat quidem in posterum. Cui ut equidem concedam tantum abest, ut hunc locum si quem alium eis quam maxime annumerem, in quibus recens eaque exactissima critica inveteratum errorem quamquam haud ita confidenter olim sese ingerentem auxisse potius quam correxisse videtur. Philosophiam enim ejusque historiam non minus quam theologiam aliasque disciplinas usque laborare ex inveteratis opinionum commentis ipsiusque mentis quasi hebetudine quadam ex Aristotelis auctoritate nimium aucta profectis, quod iterum iterumque monendo meo quodammodo munere defungor, id in Anaximandri Infinito aestimando imprimis elucere vel ea ex causa contendo, quod de capitali in universa philosophia re et de necessitudine, qua cum religionis veritate philosophia conjungitur, a critica hodierna illa quidem suo quodammodo jure contempta in quaestione illa agitur. In quo ut locum in critica a me occupatum designem, moneo aliquo modo me Schleiernacheri Brandisiique partes contra Zellerum agere, quamquam ne illos quidem ab Aristotelis auctoritate satis sese emancipasse contendo.

Quam igitur primam esse in interpretando legem omnes certe consentiunt, ut ne id scriptori obtrudamus, quod ne mussitando quidem indicavit, eam equidem etiam Anaximandro vindico. Anaximandrum ipsum quum Infinitum (*τὸ ἄπειρον*) pro rerum principio poneret, expressis verbis materiam non nominasse, certo certius est. Neque enim posteriorum aliquis, neque Aristoteles Theophrastus Plutarchus, qui quin Anaximandri librum prae oculis habuerint non est dubium, ipsius scriptoris testimonio confirmant materiam, quam ei aut imputant aut videntur imputare. Neque magis favent illi sententiae ea, quae vel ipsius scriptoris verbis vel Aristotelis Theophrastique auctoritate de principio illo infinito ex Anaximandri mente referuntur. Ut enim verba gravissima ex Anaximandri libro a Simplicio nobis

servata (ἐξ ὧν ἡ γένεσις ἔστι τοῖς οὐσι καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γένεσθαι κατὰ τὸ χρεῶν· διδόναι γὰρ αὐτὸ τίσιν καὶ δίκην τῆς ἀδικίας κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν) tanquam poetice dicta ipsumque principium parum tangentia nunc jam mittam; qui Infinitum, quod pro rerum principio ponebat, non tantum omnia continere sed omnia quoque regere ipsumque divinum esse contendebat, quod sine ulla controversia ab ipso Aristotele Anaximandro tribuitur, is saltem suspicionem nullam movet, de sola materiae mole infinite extensa sese cogitasse.

Sed haec leviter tetigisse satis habeo, ut moneam non ex ipsius Anaximandri verbis, sed ex posteriorum interpretatione materiam ei tanquam rerum principium esse attributam. Haec autem interpretatio tota pendet ex Aristotele. Quicumque enim post Aristotelem hac de re scripserunt, ita eis, quae ipse confecisse videbatur, acquieverunt, ut ipsa oculorum acies obtunderetur ad accuratius inspicienda ea, quae revera dicit Aristoteles. Quod equidem haud minime in Zellerum cadere contendo, qui hac quidem in re ita pendet ab Aristotele, ut et totum ei se credat¹⁾, et nihilominus mirifice eum, a quo seducitur, male tractat. Ad Aristotelis igitur sententiam religiosius excutiendam tota res redit. Ipse autem Aristoteles quid de Anaximandri Infinito senserit ita cum omni de Infinito disputatione conjunxit, ut nisi hac explanata de illo non possis judicare. Ad Aristotelis igitur de Infinito sententiam perscrutandam revocamur.

Tractavit Aristoteles Infinitum nominatim non quod expectabas in Metaphysicis, sed in Physic. auscult. lib. III, cap. 4—8; quae disputatio completur quodammodo in libro I de Coelo cap. 7. Quae inveniuntur in Metaph. XI, cap. 8 aperte transcripta sunt ex Physicis. Oculos igitur convertamus oportet ad disputationem palmarem, quae Phys. lib. III, cap. 4—8 continetur, quae hoc fere ordine procedit. Quod summum est, probe animadvertamus, totam hanc de Infinito disputationem conjungi ab Aristotele cum disputatione de motu, quae Phys. lib. III, cap. 1—3 continetur. Quod non fortuito factum esse luculentissimis verbis scriptor indicavit et ab initio et in fine disputationis. Illic quidem haec habet: διορισμένοις δὲ περὶ κινήσεως πειρατέον τὸν αὐτὸν ἐπελθεῖν τρόπον περὶ τῶν ἐφεξῆς· δοκεῖ δὲ ἡ κίνησις εἶναι τῶν συνεχῶν· τὸ δὲ ἄπειρον ἐμφαίνει πρῶτον ἐν τῷ συνεχεῖ· διὸ καὶ τοῖς ὀριζομένοις τὸ συνεχές, τυγχάνει προσχρῆναι πολλάκις τῷ λόγῳ τῷ τοῦ ἀπείρου, ὡς τὸ εἰς ἄπειρον διαιρετέον συνεχές ὃν 200 a 15. Postquam autem disputationi de motu his verbis clausulam imposuit: τί μὲν οὖν ἔστι κίνησις εἴρηται καὶ καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος et quae secuntur, 202 b 24 novam disputationem ita incipit: ἐπεὶ δ' ἔστι ἡ περὶ φύσεως ἐπιστήμη περὶ μεγέθη καὶ κίνησιν καὶ χρόνον, ὧν ἕκαστον ἀναγκαῖον ἢ ἄπειρον ἢ πεπερασμένον εἶναι, προσήκον ἂν εἴη τὸν περὶ φύσεως πραγματευόμενον θεωρῆσαι περὶ ἀπείρου εἰ ἔστι ἢ μὴ καὶ εἰ ἔστι ἢ ἔστι 202 b 30. Quae disputationum de motu et de infinito ab Aristotele facta conjunctio quanti sit momenti ad ejus de Infinito sententiam recte aestimandam infra videbimus. Deinde, ut ad ipsam de Infinito disputationem accedamus, cap. 4 usque sub finem (203 b 30) demonstrat scriptor ad Physicam de Infinito disputationem pertinere. Tum a fine cap. 4 usque ad initium cap. 6 206 a 13 exponit difficultates, quibus inextricabilibus laboret Infiniti notio, quod esse neque concedi neque negari possit. Denique cap. 6—8 proponit litis dijudicationem, quae, quod vix aliter ab Aristotele expectabas, ex potentiae et actus notionibus petitur. — Patet ex hac disputationis adumbratione summam rei positam esse in altera ejus parte, in qua

¹⁾ Unter dem Unendlichen verstand aber Anaximander anbei nicht wie Plato und die Pythagoräer ein unkörperliches Element, dessen Wesen aber in nichts anderem bestände als eben in der Unendlichkeit, sondern die unendliche Materie; das Unendliche ist nicht Subjektsbegriff, sondern Prädikat. Denn fürs erste sagt Aristoteles, dass alle Physiker vom Unendlichen nur in diesem Sinne reden. conf. Die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwicklung v. D. E. Zeller. Erster Theil. Dritte Auflage p. 180.

difficultates explicantur. Uti enim cum priore parte conjunxit scriptor censuram antiquiorum de Infinito sententiarum, sic in difficultatibus quibus Infiniti notio premitur exponendis ad suam ipsius sententiam detegendam accedit. Jam vero in ipso exordio hujus particulae offendimus verba, quibus primaria quaedam distinctio notionis Infiniti ab Aristotele proponitur, qua nihilominus praetermissa eum quem tenuit locum in Infiniti notione aestimanda Aristoteles assecutus est, quae verba equidem ab ullo interprete recte aut intellecta aut aestimata esse nego. Totum itaque verborum contextum, ad quae recte aut interpretanda aut aestimanda disputatiunculae hujus summa spectat, ut lectoris commodo serviam, ante oculos pono. Continentur p. 203 b 25 usque ad pag. 204 a 13 et haec sunt: *ἔχει δ' ἀπορίαν ἢ περὶ τοῦ ἀπείρου θεωρία· καὶ γὰρ μὴ εἶναι τιθεμένοις πολλὰ ἀδύνατα συμβαίνει καὶ εἶναι· ἔτι δὲ ποτέρως ἐστὶ, πότερον ὡς οὐσία ἢ συμβεβηκός καθ' αὐτὸ φύσει τίτι; ἢ οὐδετέρως, ἀλλ' οὐδὲν ἤτιον ἐστὶν ἀπείρον ἢ ἀπειρα τῷ πλήθει· μάλιστα δὲ φυσικῶς ἐστὶ σκέψασθαι, εἰ ἐστὶ μέγεθος αἰσθητὸν ἀπείρον· πρῶτον οὖν διοριστέον ποσαχῶς λέγεται τὸ ἀπείρον· ἓνα μὲν τὸν τρόπον τὸ ἀδύνατον διελεῖν τῷ μὴ πεφνεῖναι διέναι ὡς περὶ ἢ φωνῆ ἀόρατος· ἄλλως δὲ τὸ διεξοδὸν ἔχον ἀτελεύτητον, ἢ ὁ μόλις ἢ ὁ πεφνεκός ἔχει μὴ ἔχει διεξοδὸν ἢ πέρας· ἔτι ἀπείρον ἅπαν ἢ κατὰ πρόσθεσιν ἢ κατὰ διαίρεσιν. — Χωριστὸν μὲν οὖν εἶναι τὸ ἀπείρον τῶν αἰσθητῶν αὐτὸ τι ὄν ἀπείρον, οὐχ οἷόν τε· εἰ γὰρ μήτε μέγεθος ἐστὶ μήτε πλήθος ἀλλ' οὐσία αὐτὸ ἐστὶ τὸ ἀπείρον καὶ μὴ συμβεβηκός, ἀδιαίρετον ἔσται· τὸ γὰρ διαίρετον ἢ μέγεθος ἔσται ἢ πλήθος. εἰ δὲ ἀδιαίρετον οὐκ ἀπείρον, εἰ μὴ ὡς ἢ φωνῆ ἀόρατος. ἀλλ' οὐχ οὕτως οὔτε φασὶν εἶναι οἱ γράσκοντες εἶναι τὸ ἀπείρον οὔτε ἡμεῖς ζητοῦμεν, ἀλλ' ὡς ἀδιεξοδὸν· εἰ δὲ κατὰ συμβεβηκός ἐστὶ τὸ ἀπείρον. . . .* Primum igitur, ut verba prelo insignita, quae principalem quam proponit Aristoteles Infiniti distinctionem continent, a nullo adhuc probe intellecta esse probem ad Brandisium te revoco, qui quantum scio solus sed manifesto perverse ea interpretatus est²⁾. Is enim quum ita interpretatus sit: Man versteht darunter (unter dem Unendlichen) theils was seiner Natur nach sich nicht durchgehen (ermessen) lässt, theils das, dessen Ermessung nimmer ihr Ende findet, theils was kaum ermessbar oder was zwar seiner Natur nach ermessbar ist, aber keine Grenzen findet³⁾ — non tantum quid verba ὡς περὶ φωνῆ ἀόρατος sibi velint dicere negligit, sed ipsam principalem quam Aristoteles inducit distinctionem omnemque ideo Aristotelis sensum prorsus confundit. Etenim non quatuor distinctionis membra, quae quomodo secernantur nemo credo ita quidem explanaverit, sed duo ponuntur per verba: *ἓνα μὲν τρόπον*, quibus opponitur *ἄλλως δέ*, luculenter notata, quorum prius verbis ὡς περὶ φωνῆ ἀόρατος circumscribitur, alterum seu tripliciter seu dupliciter, quod primo intuitu non liquet, subdividitur. Quae distinctionis ratio ab Aristotele dilucide expressa viam nobis monstrat ad explananda verba illa caligine tecta, quibus prius distinctionis membrum explicatur. Ita enim vox est invisibilis, non quod non existat vox nullaque sit, quoniam oculis quidem non percipitur, sed quod visio, quae luminis radiis efficitur, non ita comparata est, ut quod auribus percipitur aërisque motu efficitur, nobis ad sensum adducat; seu, ut apprime Aristotelis mentem assequar, visio non habet, quo metiatur vocem itaque visioni vox est οὐ διεξοδὸν ἔχον sive ἀπείρον, quamquam non negabis ideo esse vocem⁴⁾. Itaque quamquam

²⁾ Schweglerus in versione germanica Metaphysicae, ubi haec verba ex Physicis transcripta inveniuntur, ipsam grammaticam verborum rationem turbaverat, quam mendam postea in notis correxit, nihil tamen ad sensum elucidandum afferens. Scholia, quantum inspicere mihi licuit, subsidium non ferunt.

³⁾ Brandis: Aristoteles und seine Zeitgenossen II, p. 727.

⁴⁾ Si quaeris, qui factum sit, ut Aristoteles ad illud exemplum deferretur, non dubitaverim etiam hic Platonem allegare, in Theaet. 186 D eam cognitionis humanae naturam explicantem, quae per singula sentiendi organa quodammodo sit dissecta, ita ut ipsa sensatio nisi adhibito interno

atrumque distinctionis membrum negative profertur, planum tamen est totam distinguendi vim in eo cerni, ut prius membrum affirmative alterum solum vere negative intelligatur, id quod clarius etiam elucet ex repetita principali illa distinctione in fine ejus quam apposui disputationis particulae, ubi in verbis *εἰ μὴ ὡς ἡ φωνὴ ἀόρατος, ἀλλ' οὐχ οὕτως . . . ζητοῦμεν, ἀλλ' ὡς ἀδιέξοδον* evidenter prius membrum, tanquam affirmativum alteri tanquam negativo opponitur.

Quodsi recte disputatum est, innui hac distinctione eam Infiniti naturam quae non in mera negatione continetur sed cui *οὐσία* competat, viam munitam vides ad id Infinitum cogitatione arripiendum, quod summum ens est quodque Deum theologi, Absolutum philosophi nuncupant. Nempe oportebat, ut ita Aristoteles illud affirmative Infinitum, quod idem ens absolutum numenque divinum est, universo nostro intellectui finito illi quidem inaccessible atque impermeabile mente conciperet, uti vocem non emittitur visio; id praeter quod alium exitum cogitationi non esse relictum, simulac Infinitum affirmative cogitaveris, severissimae logices leges evincunt. Atque non alienum fuisse Aristotelem, quum haec disputaret, ab hac Infiniti aestimatione, disputationis progressu satis demonstratur. Postquam enim missa hac affirmativa Infiniti notione ad eam sese applicavit, quae et mere negativam vim habet et in materia sola rebusque sensibilibus versatur, quasi ipsi sibi non satisfaciens disputationisque seriem interrumpens Pythagoraeorum mentionem iniicit, qui non de materia sola sed de rebus intelligibilibus cogitaverint (*ἀλλ' ὡς αὕτη μὲν ἐστὶ καθόλου ἢ ζήτησις μᾶλλον, εἰ ἐνδέχεται τὸ ἄπειρον καὶ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς εἶναι καὶ ἐν τοῖς νοητοῖς καὶ μηδὲν ἔχουσι μέγεθος ἡμεῖς ἐπισκοποῦμεν περὶ αἰσθητῶν καὶ περὶ ὧν ποιοῦμεν τὴν μέθοδον* 204 a 34.) In quo loco quid Aristotelem commoverit, ut Pythagoraeorum solorum non ut in aliis similibus Platonis quoque mentionem fecerit, infra videbimus. — Eodem spectat, quod Aristoteles postquam litem suo quidem modo *δύναμιν* et *ἐνέργειαν* in auxilium vocans dijudicavit, attamen in hoc exitu non prorsus acquievit et ad novum quendam diversumque a solito *ἐνεργείας* sensum nos provocans (*ἀλλ' ἐπεὶ πολλαχῶς τὸ εἶναι, ὥσπερ ἡμέρα ἐστὶ καὶ ὁ ἄγων, τὸ αἰεὶ ἄλλο καὶ ἄλλο γένεσθαι, οὕτω καὶ τὸ ἄπειρον* 206 a 20) et ad totius perfectique notionem affirmantem eam quidem Infinitum retorquens eaque miscens, quae licet ex disputatione Aristotelis ad justum exitum parum perducta profecta sint, posteris tamen satis opulentus philosophiae thesaurus videbantur.

Sed revertamur ad loci Aristotelei, quem laudaveram, interpretationem exhauriendam. Uti enim priori distinctionis membro sic alteri quoque quod satis est luminis affunditur, si ex affirmationis negationisque oppositione distinctionis illius vim petiveris. Ut primum enim mentis agitatio ab affirmative Infiniti notione ad mere negantem convertitur, necessario fit, ut ambiguitati illi mancipemur, qua alterum distinctionis membrum Aristoteles non una nota clare distincteque proposita, sed satis confuse dupliciter sive tripliciter subdividens constituere cogeatur, qua re ita abreptum videbamus Brandisium, clarissimum Aristotelis interpretem, ut universam distinctionis rationem perturbaverit. Nempe affirmationis negationisque natura non recte percepta id ipsum efficitur, ut mentis agitatio in immenso rerum spatio numeroque quasi ambigua suique non potens vagetur fluctuetque. Quod cave credas ita a me dictum esse, ut Aristotelem aut ignaviae aut negligentiae incusem, cum satis circumspecte ille quidem vel referens gradum sese gesserit. Trina enim alterius membri distinctio quum facta esse videtur, accuratius eam perpendentem non te fugiet non tripliciter sed dupliciter

cognitionis vinculo, quod posteri praeunte aliquomodo Aristotele ad internum quem vocant sensum haud ex mente Platonis redegerunt, non possit rata haberi.

subdistingui bisque sejunctionis vocula posita confici fere ambiguitatis campum, qua negativae Infiniti notioni mancipati fluctuamus. Quod enim Infinitum negative dicimus, id aut nostra sive vi deficiente sive studio cessante ita dicimus, velut si quis numerum granorum centum modis contentum infinitum praedicat, aut sua ipsius natura infinitum nobis videtur veluti spatii numerumque immensitas, quod alterum quam prope accedat ad prius totius distinctionis membrum ne ego quidem negaverim perturbationis causam fuisse.

His expositis alterum quod supra contendebam probandum restat, missa affirmativa quam tetigerat Infiniti notione ad eum gradum in Infiniti natura cognoscenda accessisse Aristotelem, quem et ipse tenuit et post eum ejus auctoritate quodammodo stupefacta philosophia verita est excedere. In quo quum ipsa verba clarissime indicent, ideo Aristotelem Infinitum tanquam segregatam a rebus sensibilibus substantiam tenere itaque substantivi subjectique sensu quidem philosophico momentum illi tribuere ausum non fuisse praedicati gradum exinde ei assignantem, quoniam affirmativam Infiniti notionem, illud nimirum quod est infinitum *ὡσπερ ἡ φωνὴ ἀόρατος*, nec priores philosophi in animo habuisse putabat, nec ipse nunc quidem respicere tanti faciebat, religio est silentio praeterire, nisi ipsam Aristotelem paralogismi manifesti arguas, hoc non posse pervinci argumentum. In circulo enim movetur Aristoteles concludens, quod indivisibile sit, non esse infinitum; infinitum autem illud *χωριστόν*, quod ponitur, quum neque continuum (*μέγεθος*) neque discretum (*πλήθος*) sit, indivisibile esse; ergo non esse Infinitum *χωριστόν*. Etenim patet eum sumere quod admissa affirmante Infiniti natura non debebat sumere, non nisi aut continuum aut discretum sensibile nimirum et materiale non posse animo fingi Infinitum, quum affirmative Infinitum ita universae cogitationis nostrae finitae illius quidem materiaeque addictae fines migrare concedamus oportet *ὡσπερ ἡ φωνὴ ἐστὶ ἀόρατος* itaque, dummodo ipsius humanae mentis corpori addictae quidem sed non corporalis naturam in partes vocaveris, nihil obstat, quominus infinitae substantiae veritatem teneas. Quodsi Aristoteles hanc Infiniti notionem, quae retenta et in luce posita totam ejus conclusionem confundit, nunc jam se mittere expressis verbis dicit, liberatur quidem a crimine sophismatis; non autem vel ipse Aristoteles vel qui post eum philosophiam professi sunt, purgantur a levitatis culpa vitio in re capitali resarciendo parum intenti.

Etenim hoc loco priusquam progrediamur in disputatione accuratius demonstrare opportunum est, quod supra monuimus, Aristotelem id, quod in *Physic.* Auscult. nominatim de Infinito tractans non praestitit, postea complere tanti non fecisse, ut ad prius illud membrum in distinctione principali Infiniti propositum accuratius intenderet. Neque enim in libro de *Coelo* I, cap. 7, ubi iterum de Infinito nominatim ac singillatim disputat, neque ubi alias transeundo hunc locum tangit, principalem in *Physic.* propositam distinctionem resumit prorsusque jam Aristotelem Infiniti notioni mere neganti sese addixisse vel tritissima illa apud eum argumento sunt, infinita non posse cognosci (*ἀπειρων οὐκ ἐνδέχεται λαμβάνειν ἐπιστήμην* sive *τὰ ἀπειρα οὐκ εἶναι διελθεῖν νοούντια*) et abire in infinitum (*εἰς ἀπειρον ἵέναι*) esse desertae veritatis documentum; quamquam vix negaveris ipsam hanc factam negativi Infiniti apud Aristotelem cum defectu cognitionis societatem significare haud obscure id, quod demonstraere nobis in animo est, non obtenta affirmativa Infiniti notione suum in philosophia gradum eum occupasse. Neque praetereundum est silentio, sub finem disputationis, quae in libro de *Coelo* I, cap. 7 continetur, tangi eum locum, in quo rei summa vertitur, ita ut oculis quodammodo cernamus, qui factum sit, ut Aristoteles ab affirmativa Infiniti notione in distinctione illa principali indicata prorsus abriperetur. Resumpta enim quaestione de motus cum Infinito vinculo ad animae tanquam se ipsam moventis notionem illico defertur, quam quidem constaret non esse infinitam (*ἐπι τὸ κινεῖν τὸ ἀπειρον τί ἐστι; εἰ μὲν γὰρ αὐτὸ ἐαυτὸ, ἔμψυχον ἐστὶ τούτο δὲ πῶς δυνατόν ἀπειρον εἶναι ζῶον;* 275 b 26). Nempe ita affirmativae Infiniti notioni obtinendae par erat Aristoteles, ut, quam equidem contendo

fuisse Platonis sententiam, probe perspiceret, quod se ipsum moveret idem esse et ens absolutum et illud quod quaerimus affirmative Infinitum⁵⁾.

Quodsi in eis, quae de rebus physicis tractavit, Aristotelem ad affirmative Infinitum non amplius respexisse non est mirum, in Metaphysicis certe nihil aliud expectabas. Aristoteles enim quum disciplinae illius, quam Philosophiae primae sive Theologiae nomine ipse, posteri Metaphysicae distinxerunt, fundamenta jaciens evidenter disseruerit hanc disciplinam rerum visibilium materialiumque fines migrare illudque respicere quod ipsam essentiam contineret (*εἰ μὲν οὖν μὴ ἐστὶ τις ἑτέρα οὐσία παρὰ τὰς φυσικὴν κατεστηκυῖαν, ἢ φυσικὴ ἂν εἴη πρώτη ἐπιστήμη εἰ δ' ἐστὶ τις οὐσία ἀκίνητος, αὕτη προτέρα καὶ φιλοσοφία πρώτη.* 1026 a 30.), num quid jure sperare poterat, tum demum eum rediturum fuisse ad eam Infiniti notionem, qua missa, dum res physicas tractat, suum in rerum natura cognoscenda gradum obtinuerat? Verum enimvero nihil hujus fit. In idearum platoniarum quam sibi informaverat doctrina impugnanda et in essentiae actusque notionibus elucidandis fere primae philosophiae summa conficitur et, quum demum lib. XII essentia actuque in unum conjunctis ad summam essentiam summumque numen accessit Aristoteles, ad unitatem id redigere philosophica disputatione ausus est, ad ejus cum Infinito rationem expendendam accedere non item. — Ea quae lib. XI Metph. de Infinito disputata inveniuntur quum supra indicatum sit ex Phys. Auscl. esse transcripta, juvat hoc loco monere, non alienum videri a veritate ipsum Infinitum in Metaphysicis desideratum imprimis in causa fuisse, ut sive Aristoteles sive quis alius hanc huc particulam transcriberet. Similis ratio esse videtur disputationis de Uno lib. X Metph. contentae, quam infra respiciemus, quum Aristotelis de Anaximandro sententiam recensebimus.

⁵⁾ Quum per tempus mihi non licuerit totam hanc disputationem ea qua oportebat diligentia perficere juvat hoc loco aliqua subnectere, quae quantopere Aristoteles ex Platonis mente non satis percepta cum in aliis tum in eis, quae de Infinito disputat, pependerit, argumento sunt. In aliorum philosophorum de Infinito recensendis sententiis Phys. Auscl. III, 4 haec habet: *Πλάτων δὲ ἔξω μὲν οὐδὲν εἶναι σῶμα οὐδὲ τὰς ἰδέας, διὰ τοῦ μὴδὲ ποῦ εἶναι αὐτάς· τὸ μέντοι ἄπειρον καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καὶ ἐν ἐκείναις εἶναι* 203 a 8. Quae verba satis clare veram Platonis sententiam indicant duo rerum genera sibi opposita ponentis, quae sive cum Platone (*Φῶμεν οὖν δύο εἶδη τῶν ὄντων, τὸ μὲν ὄρατὸν τὸ δὲ ἀειδὲς* 70 A.) sive cum symbolo christiano visibilia et invisibilia dixeris, quae Infinito, scilicet affirmative illo Infinito, continerentur. Quam genuinam Platonis sententiam Aristoteles praeceunte quidem aliquo modo ipso Platone, (qui, dum ad Pythagoraeorum numeros ideas redigere studet, ad negative infinitum deferebatur,) ita pervertebat, ut in solo illo negative infinito haereret, cujus neque addendo neque subtrahendo, neque multiplicando neque dividendo finem assequaris, quod quidem quum ipse Plato ita posuisset, ut duo ita quidem infiniti genera discerneret (*κατὰ πρόσθεσιν ἢ κατὰ διαίρεσιν*) cui Unum esset tanquam substantia oppositum, satis indicatum est, esse negative Infinitum. Quod ne Aristotelem quidem fugisse haec docent: *τὰ γὰρ εἶδη τοῦ τί ἐστι αἴτια τοῖς ἄλλοις τοῖς δὲ εἶδεσιν τὸ ἐν καὶ τίς ἢ ὅλη ἢ ὑποκειμένη, καθ' ἧς τὰ εἶδη μὲν ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν τὸ δὲ ἐν ἐν τοῖς εἶδεσιν λέγεται ὅτι αὕτη δύνας ἐστὶ τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν* (illud scilicet ἢ προσθέσει ἢ διαίρεσει ἄπειρον) 988 a 10. Ex hoc Aristotelis errore ad Platonis experimentum ab ipso postea spretum ad Pythagoraeorum numeros ideas redigendi totum sese applicantis in eoque haerentis causa quaerenda est, ut in principali illa de Infinito quaestione ab affirmative Infinito sese avertens Pythagoraeorum tantum mentionem iniecerit, de Platone serio cogitare non tanti fecerit. Quantopere autem genuina Platonis sententia usque eum pupugerit, quam maxime illius disputationis exitu demonstratur. Totius enim perfectique notionem Infinito substituens resumit quodammodo affirmativam Infiniti notionem aperteque pronuntiat summum genuinae Platonis philosophiae finem, quem equidem in omni Aristotelis philosophia latere contendo. *Ἀποπὸν δὲ, inquit, καὶ ἀδύνατον τὸ ἄγνωστον καὶ τὸ ἀόριστον περιέχειν καὶ ὀρίζειν* 207 a 26. *Περιέχεται ὡς ὕλη ἐντὸς τὸ ἄπειρον· περιέχει δὲ τὸ εἶδος* 207 b 1.

Jam vero perlustrato fere toto disputationis aristoteleae de Infinito campo ad locum principalem ex Phys. Auscl. propositum revertamur oportet, ut perpensis et vinculo, quo Infinitum cum motu conjunxit Aristoteles, et illo ut dicam flexu, quo missa Infiniti notione affirmativa ad mere negativum ejus sensum sese applicuit, videamus et quam vim hoc momentum in Aristotelis doctrinam indeque in universam philosophiam habuerit, et quid Aristoteli ad informandam de Anaximandro sententiam contulerit. Etenim in ipso illo loco nodum quendam in aristoteleae universaeque philosophiae complicatissimum deprehendere mihi videor, quod quidem non ita mihi nunc in animo est demonstrare, ut singula argumenta excutiam, sed ut, quae alias a me demonstrata sunt, in usum convertam, ad quae hoc quoque referre liceat, post Analytica perfecta demum ad eas disputationes, quae Phys. Auscl. inscribuntur, sese accinxisse Aristotelem, itaque in his eum locum quaerendum esse, in quo a legibus formaque cogitandi constitutis ad ipsas res, quas cogitatione amplectimur, via ac ordine explanandas accessit. In ipsis igitur verbis, quibus missa quam tetigerat affirmativa Infiniti notione ad mere negativam Aristoteles vertebatur, tria concurrere vides apprime cogitationis gradum statumque, quem exinde philosophia non superavit, designantia; primum negationis in Infinito Absolutoque cognoscendo dominationem, alterum mentis ad ea, quae quantitate utuntur, sive ad materiam, alligationem, tertium orationem cogitationemque ad subjecti praedicatque rationem reductas, ita quidem ut aut Infinitum aut quae sensibus obijciuntur res singulas pro mero praedicato habere cogere Aristoteles. Atque adeo, si Aristotelis fuisset, non singulas res sed Infinitum tanquam substantiam subjectumque tenere, jam tunc in lucem edebatur illa fere philosophiae forma, quam tot saeculis post deserto quod divina revelatione nacta erat veritatis fundamento Spinozae industria sibi induxit, quamque ita in nostrum seculum dominari ut Aristotelem in superiora vix negaveris. Certe Aristoteles, si Infinitum quod idem et Unum et summum ens est, substantiam esse concedebat, ad Parmenidis sententiam redigebatur. — Quod vero momentum tribuendum quodque pondus assignandum sit conjunctioni illi aretissimae disputationum de Motu et de Infinito, luculenter Aristoteles indicavit Motum secretum a rebus singulis prorsus et cum commotione quadam animi negans (*οὐκ ἔστι δὲ κίνησις παρὰ τὰ πράγματα* 200 b 33) eumque ad potentiae in actum transitum in rebus singulis illum quidem sese exserentem referens (*ἡ δὲ τοῦ δυνάμει ὄντος ἕντελεχεία ὅν ἐνέρη οὐχ' ἢ αὐτὸ ἀλλ' ἢ κινήτῶν, κίνησις ἔστι* 201 a 28). In quo loco de controversia cum Platone agi, quamquam eum non nominat Aristoteles, et tota rerum series et ipse verborum tenor indicat. Etenim ut taceam quod eisdem fere verbis hic motum *παρὰ τὰ πράγματα* esse negat Aristoteles, quibus ideas non esse *παρὰ τὰ πράγματα* contendere solitus erat, qua putas causa eum inductum fuisse, ut omnino tam expressis verbis haec pronuntiaret, nisi adversarius ei prae oculis versatus fuisset, Plato scilicet, quem constat id ipsum quodammodo statuisse, esse motum extra res singulas sensibusque objectas. Et in hoc quidem facile Aristoteli assentiemus, ut motum non tanquam substantiam aliquam a rebus singulis secretam animo fingere liceat. Verumenimvero ita equidem contendo, ipsum Aristotelem Platonis mentem non esse assecutum, qui non id intendebat, ut motus notionem secretam abstractamque a rerum veritate sibi informaret, sed ut essentia motuque in unum conjunctis id ipsum summum ens deprehenderet, quod idem est affirmative Infinitum, negatione in finitum sensui cogitationique proxime subjectum rejecta, non eo quidem animo, quo Neoplatonici postea Platonis sententiam distorserunt, finito illo, quod proxime cognoscimus, sive nos ipsos animumque nostrum sive res sensibus objectas intuemur, existendi jus denegantes, sed ut eam rerum finitarum naturam exhiberet, quae, quum se ipsam non nisi negatione affectam comprehendat, in solo illo affirmative Infinito sive Absoluto suae essentiae veritate utitur. Quod quum videas quam prope accedat ad theologiam de Deo creatore doctrinam, idem moneo ipso orationis humanae ingenio indicari, quae quum Finis vocabulum substantive prolatum et ita quidem tanquam substantiam quandam repraesentans positiveque dictum revera negationem designet, Infiniti vocabulo,

negata negatione, affirmationem exprimit. Quod occultius humanae orationis ingenium equidem non is sum, qui vel Platonem odorasse contendam. Summum tamen quem indicavi philosophiae finem quum Plato non assequeretur, factum est, ut hac via ad orationis humanae robur medullamque veraeque grammaticae prima lineamenta tanquam vacillantis philosophiae adminiculum deferretur, τοῦ λόγου ex nomine verboque connexis enati definitionem in lucem prodens, quam Aristoteles ad subjecti praedicatque rationem redigens in dominantem exinde categoriarum formam sese induxit, a qua Kantius primus noster parum tamen feliciter, si summam veritatis respicis, philosophiam emancipare et in libertatem vindicare conatus est. Ita jamjam elucebit, qui factum sit, ut redacta ad subjecti praedicatque rationem λόγον definitione uno eodemque icu Aristoteles et ad motus notionem ad potentiae in actum transitum detorquendum et ad mentem in rebus singulis sensibusque subjectis tanquam unice veris defigendam et ad Infinitum sensu positivo prorsus negligendum induceretur. Quo nodo perspecto id efficitur, ut dialectica illa, quam ex λόγου vera definitione petebat Plato, ad effectum perducta via muniatur, qua demum Infinitum sensu affirmativo tanquam firmo philosophiae fundamento potiaris itaque ad meliorem frugem redacta et veterum et recentium scholasticorum disciplina (Hegelium dico) ejus cum christiana veritate societas resarciatur.

Jam ut ipsam Aristotelis de Anaximandro sententiam explanandam aggrediamur, vides quam ad hunc finem munitam viam habeam. Quam enim Plato intendebat et rerum naturae et intelligentiae humanae finitarum illarum quidem in summo numine infinito aeternoque fundare veritatem, ea conjuncta erat ut cum motus essentiaeque sic cum Heracliti Parmenidisque, per quos prior philosophiae Graecae aetas ad fastigium perducta erat, oppositione superanda. Haec enim erat Graecorum prae ceteris hominibus praestantia, ut cum in ceteris generibus tum in philosophia ea sponte quodammodo arriperent, quae ad ipsius humanitatis naturam atque vim pertinere videntur; quod facile vides etiam in illam quam exhibui oppositionem cadere, quando ut motus ad sensuum perceptionem sic essentiae notio ad cogitandi virtutem refertur, quibus duobus cognoscendi modis universus intelligentiae humanae campus circumscribitur. Quem summum philosophiae scopum ab ipso Platone haud tamen illum assecuto propositum Aristoteles, non deserens ille quidem vestigia platonica sed quantum valebat secutus, quum non teneret, ut motum ad potentiae in actum transitum in rebus singulis sese explicantem sic idearum veritatem ad easdem res singulas referens inque ipsis quae jaciebat disciplinarum fundamentis idearum doctrinam, quam refutabat, tenuiori quodam debiliorique modo ad exitum perducens, necessario factum est, ut cum Platone Anaximandrum, quem Infinito tanquam rerum principio posito vere totius philosophiae auctorem praedicaveris, iniquius aestimaret sua eum quasi minuta mensura metiendo. Aristotelis igitur de Anaximandri Infinito sententiam excussuri Zelleri simul criticam recensebimus, quem in hac re Aristotelis auctoritati inconsiderate se committere miror vel ea ex causa, quod satis superque constat in aliorum philosophorum aestimandis sentiis non integerrime atque justissime illum versatum esse; minus miror, quod in Anaximandro aestimando ipsius Aristotelis iniquitatem superavit. Non enim jamjam Aristoteles abripiabatur illo ad sola corpora cogitationem redigendi impetu, quo hodierni homines occupantur cujusque auctorem eximium non negabis Anaximandrum praedicari, si ei infinitam materiam pro rerum principio jure attribui concesseris. Ut igitur quorum Zelleri criticam accuso certo ordine disponam, primum est, quod non solum ultra Anaximandri sed ultra ipsius Aristotelis verba egreditur, expressis verbis materiam tanquam principium Anaximandro attribuens. Quamquam enim cum alias tum loco capitali Phys. Auscult. III, 7 (φαίνονται δὲ πάντες καὶ οἱ ἄλλοι ὡς ἕλη χρώμενοι τῷ ἀπείρῳ 208 a 2, ubi aperte cum ceteris physiologis Anaximander scriptori prae oculis versatur) materia cum Infinito ab Aristotele confundi videtur, sunt tamen quae his cum Zellero confidenter abuti vetent. Nam vel in verbis quae laudavi vides, quam parum certe Aristoteles loquatur. Ipsum

autem ὕλης vocabulum ambiguitatem quandam habet et ne apud Aristotelem quidem cum materia, quam nos dicimus confunditur, ad cuius sensum Aristotelis σῶμα propius accedere ipsum Zellerum de Melisso loquentem non fugit. Praeteriit autem eum ni fallor locus Metph. X, 3 (ἐκείνων τῶν περὶ φύσεως ὁ μὲν τις φιλίαν εἶναι φησι τὸ ὄν, ὁ δὲ ἀέρα, ὁ δὲ τὸ ἄπειρον 1053 b 15), ubi cum Bonitzio non dubito quin de Anaximandro cogitandum sit. Ne Zellerus autem quidem credo eo progredietur, ut φιλίαν Aristotelem pro materia habuisse contendat. Theophrastus quoque non ὕλην sed φύσιν τινὰ ἀόριστον Anaximandro tribuit. Vides minime Aristotelis mentem assecutum esse Zellerum non dubitantem materiam Anaximandro expresse tribuere eumque distincto quo nos ea utimur sensu. In quo bis praeterea labitur haud leviter critica haud considerata. Primum enim juste mireris, quod uno ore Zellerus Anaximandri ἄπειρον et ad immensam materiae molem et ad merum praedicatum Aristotelem contendit redegisse (Unter dem Unendlichen verstand er — die unendliche Materie; das Unendliche ist nicht Subjects-begriff, sondern Prädikat v. s.), quum vel leviter inspectus locus quem interpretatus sum aristoteles, ita Aristotelis sententiam esse comparatam demonstret, ut ad praedicati rationem redactum infinitum negaret esse materiam; sin tanquam materiam ponere ausus fuisset, pro subjecto id habere oportebat. Neque minus grave est alterum quod in illo conamine peccat Zellerus. Ipse viderit, qua ratione, quando infinitam materiam Anaximandro tribuerit, eum a Melisso secernat sequiore philosopho et ex Parmenidis schola profecto, cui constat Aristotelem ipsam illam infinitam materiam tribuisse, quem igitur Zellerus confundens cum Anaximandro et Aristotelem negat considerate egisse, qui, quam Melisso tribuit infinitam materiam, eam Anaximandro non ausus est inculcare, et in ipsa historia omnia miscet, distinctam materiae notionem, quam apud Melissum in exitu primae philosophiae aetatis iamjam sophistas olente nos offendere mirum te non habebit, ad ipsa philosophiae initia retorquens. Ut autem in materia Anaximandro obrudenda ultra Aristotelem progressus est Zellerus, sic ea negligit arguere, quae in illo recte aestimando levitate quadam evidenter peccat Aristoteles. Infinitum enim solitus est dicere Aristoteles sua ipsius natura conjunctum esse cum principii notionem et ideo ab omnibus, qui de rerum principio disputaverint, tanquam principium infinitum praedicari. Phys. Auscult. III, 4 εὐλόγως δ' ἀρχὴν αὐτὸ (τὸ ἄπειρον) τιθέασι πάντες· οὔτε γὰρ μάτην οἶόν τε εἶναι οὔτε ἄλλην ἐπάραρχειν δύναμιν πλὴν ὡς ἀρχὴν. πάντα γὰρ ἢ ἀρχὴ ἢ ἐξ ἀρχῆς. τοῦ δὲ ἀπείρου οὐκ ἔστι ἀρχή. εἴη γὰρ ἂν αὐτοῦ πέρας 203 b 3. Quae sententia quum aperte deroget Anaximandro, quem constat post Thaletem aquam pro principio ponentem Infinitum induxisse, hoc peccatum committere potuisse Aristotelem nego, nisi jam ille, et mirum quantum, ad illam levitatem animum deduxisset, quam post eum secuta est philosophia, aut nauci faciens affirmativam Infiniti notionem, aut, dum ejus pondere premitur, quasi desperabunda in ejus abyssum quendam sese praecipitans, et, qua mente Anaximander Thaletis aquae suum Infinitum opposuerit, prorsus eum praeteriisset. Cui inveterato philosophiae morbo nulla re melius mederi nos posse arbitror, quam si Anaximandri mentem rectius aestimemus. Etenim si verum est, quod recte tenet Aristoteles, Infiniti principiique rerum notiones interna cogitandi necessitudine contineri, qua alia ratione putas philosophiam primordia sua auspiciatam sui quasi potentem fieri potuisse, nisi ut ipsum Infinitum tanquam principium Thaletis conatui unam aliquam materiam pro principio ponentis objiceret, qua sententia provocabatur illico cogitationis veritatisque intima vi, si qua in homine est, quae principii notionem cum una aliqua finitaque re conjungere vetat. Quantum autem cum Anaximandro compositum aestimabimus doctissimi cujusque posteriorum sive Aristotelis sive Zelleri cujusquam ingenium philosophicum, qui quae ille in animo habebat veritatis semina doctis commentis obliterare student, pro animi cogitationisque elatione ex rerum principii cum Infinito societate orta materiae molem aut tacite aut expresse ei inculcantes, invito quidem, nam utrumque clarum est, neque voluisse Anaximandrum adjectivo neutro substantivum aliquod addere, et, si voluisset, non ὕλην aut σῶμα sed τὸ ὄν appositurum fuisse, quem scimus singulas res τὰ ὄντα nominasse. Ex

defectu igitur ingenii vere philosophi profecta esse contendo et Aristotelis ambiguitatem et recentissimi critici audaciam infelicem.

Neglecto jam eo, quod aperte peccat in Anaximandrum Aristoteles, aliud peccatum addit Zellerus, non tantum materiam Anaximandro inculcans, sed etiam causam pravam, qua commotus immensam materiae molem pro principio posuerit. Confirmare enim posse sibi videtur, ideo Anaximandrum ad immensam materiae molem confugisse, ut haud deficientem generationis fontem praesto haberet. Quae vereor, ut tam firme probata sint, quam Zellero videntur. Quae enim ex ipso Aristotele pro hac sententia affert Zellerus, in eis fallitur. Nam quod *ἄπειρον σῶμα αἰσθητόν* Phys. III, 8. 208 a 8 infertur, argumento est, non ex Anaximandri libro sed ex sua sententia haec promere Aristotelem, qui, quum hoc quidem sensu materiam Anaximandro tribuere in animo non haberet, hoc loco negligentius locutus est. Ad posteriores autem scriptores quod attinet solus me movet Plutarchus, quem non negaverim ea quae in Plac. Pphs. 3, 4 affert (*λέγει οὖν: διὰ τὸ ἄπειρον ἔστι: ἵνα μηδὲν ἐλλείπη ἢ γένησις ἢ ὑφισταμένη*) ex ipso Anaximandri libro deprompsisse. Sed ut causam hanc non alienam ab Anaximandro fuisse concedam, certe non totam ejus mentem exprimit. Generatio enim rerum tempus imprimis spectat, itaque elucet Aristotelem, qui in generationis serie rebus ex potentia in actum transeuntibus infinitum sequebatur, ad hanc causam maxime se applicuisse. Anaximander vero Infinitum non aeternum esse solum sed omnes res singulas spatio quoque quodammodo amplecti volebat ipsaque generatio non ad corpora sola quasi mechanica evolutione, sed ad vitam sensum animum spectat, quae omnia suo quidem modo Anaximander Infinitum suum amplecti eoque contineri putare debebat. Altior igitur causa Infiniti pro principio ponendi quaerenda est in Anaximandro et in hac quoque re ita viam nobis praeit Aristoteles, ut mirer, quod Zellerus ne hic quidem satis eum secutus est. Quod enim Aristotelis sententiam, qui Anaximandrum non cum eis, qui non unam aliquam materiam discretam pro principio posuerint, condensatione et rarificatione, sed contrariis ex uno infinito principio sese explicantibus rerum originem sibi finxisse commemorat, (*Ὡς δ' οἱ φυσικοὶ λέγουσι δύο τρόποι εἶσιν οἱ μὲν γὰρ ἐν ποιήσαντες τὸ ὄν σῶμα τὸ ὑποκείμενον . . . πικρότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦσι: . . . οἱ δ' ἐκ τοῦ ἐνός ἐνοῦσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαι ὥσπερ Ἀναξίμανδρός φησιν* 187 a 15), haud cum Rittero per mechanicam quandam evolutionem interpretatur, in eo quidem valde laudandus est; quominus autem quae amplius in hac re Aristoteles dicit, plane perspiceret, opinione sua de materia Anaximandro tribuenda praeoccupabatur. Aristoteles enim dum subtiliter accurateque exponit in ipsius Infiniti notione causam sitam esse, ut non una aliqua secreta materia ceterisque opposita pro principio haberi possit (*ὅτι τὸ ἄπειρον ὑπερβαλεῖ καὶ φθίρει τὸ πεπερασμένον, ἕκαστον ἀδύνατον εἶναι ἄπειρον* 204 b 18) non tantum illico Anaximandrum in memoriam vocat, sed quasi digito eum demonstrat eis quae sequuntur verbis (*ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἐν καὶ ἀπλοῦν εἶναι ἐνδέχεται τὸ ἄπειρον σῶμα, οὔτε ὡς λέγουσιν τινες τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, ἐξ οὗ ταῦτα γεννῶσι, οὔτ' ἀπλῶς εἰσὶ γὰρ τινες οἱ τοῦτο ποιοῦσι τὸ ἄπειρον, ἀλλ' οὐχ ἀέρα ἢ ὕδωρ ὡς μὴ τὰλλα φθείρηται ὑπὸ τοῦ ἀπείρου αὐτῶν. ἔχουσι γὰρ πρὸς ἀλλήλα ἐναντιώσιν . . . ὣν εἰ ἐν ἦν ἄπειρον, ἐφθαρτο ἂν ἦδη τὰλλα. νῦν δὲ ἕτερον εἶναι φασὶ ἐξ ὧν ταῦτα . . . ἀλλ' οὐκ ἔστι τοιοῦτον σῶμα αἰσθητόν παρὰ τὰ στοιχεῖα καλούμενα.* 204 b 23 seqq.) In quibus verbis si caves, ne turberis solito illo apud Aristotelem, quod Anaximandri de Infinito sententiam quasi communem quandam philosophorum sumit, vides Anaximandri sententiam, qua oppositione et contrarietate recepta rerum veritatem, quam proxime cognoscimus, ex Infinito deducebat, ad ipsam Infiniti notionem, quae contrarietatem quam in rebus videmus non patitur, haud obscure referri, ex quo sequitur, non tam physicam quam metaphysicam et ex intimo humanae cogitationis recessu petitam legem ab Anaximandro una cum Infinito tanquam rerum principio esse prolatam. Aliam quaestionem quae huic affinis quidem est sed non ejusdem momenti quamque recens imprimis agitant, num Aristoteles, quum de eis loquitur, qui aut mixtam ex singulis elementis aut mediam sive inter ignem

et aërem sive inter aërem et aquam materiam pro principio ponant, de Anaximandro cogitaverit, discernere non audeo, cum multa quidem ambiguitati Aristotelis incerte in hac re fluctuanti tribuam; sint tamen, quae nimium in hac suspicione procedere vetent, quae quidem accuratius perpendere longum est. In eo igitur facile assentirer Zellero, de materia nullo modo circumscripta apud Anaximandrum cogitandum esse, si quidem omnino de materia sola cogitari liceret. — Restat ut ex eis quae disputavi elucere moneam, non me concedere Zellero, causam, qua commotus Aristoteles in libro I Metaph., quum quae a philosophis posita sint rerum principia recenseret, de solo Anaximandro tacuerit, ex ipsa hac Infiniti ejus natura parum circumscripta petendam esse. Etenim in primo illo Metaphysicae libro elucet Aristotelis ingenium et ad quam sublimitatem evecum sit et quibus artibus finibus circumscriptum. In quo non negligere debebat Zellerus, in libro XII, qui toti metaphysicae coronam imponit, Anaximandri mentionem facere Aristotelem. (Metph. XII. 2 καὶ τοῦτ' ἐστὶ τὸ Ἀναξαγόρου ἔν καὶ Ἐμπεδοκλεοῦς τὸ μίγμα καὶ Ἀναξίμανδρου 1069 b 20). Scilicet ad limatius dicendi genus perductus est lib. I Metaph.; ad ipsius veritatis intimos recessus magis affinis lib. XII. Quam rationem si religiosius perpenderit non te latebit, ipsam illam in lib. XII. factam in lib. I. praetermissam Anaximandri mentionem ad Aristotelis de eo sententiam aestimandam aliquantum conferre. Sed hoc tetigisse nunc quidem satis habeo.

Coronam igitur disputatiunculae impositurus Hoffmanni philosophi Herbitopolitani sententiam in memoriam revoco, qui in censura benigna libri de historia philosophiae a me scripti in Glaseri ephemeridibus edita, quantum momentum in omni philosophiae evolutione mea de Anaximandri Infinito interpretatio habitura sit, libere fatetur, sed dubitat ea uti duobus commotus causis, primum quod sententia mea a criticis hodiernis non probata sit, deinde quod non constet eam in rebus finitis oppositionem Anaximandrum in animo habuisse, quae in animi mentisque sive ut theologice loquar in spiritus contra corpus materiamque oppositione cernitur. Utramque causam jamjam me removisse mihi videor. Nam criticorum quidem judicium intrepida mente expecto; Anaximandrum autem etsi non verbo, quod omnes hodie faciunt, vel qui materialismum aperte profitentur, at ipsa mentis agitatione mentis animi invisibilium denique veritatem materiae objecisse neque cum materialismo philosophiae exordia auspicatum esse, id certe philosophiae doctori illi clarissimo christianaeque veritati addictissimo me persuasurum esse spero.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit quinquies per hebdom. hora VII.
- II. De philosophia et theologia Dantis Aligherii disseret bis per hebdom. hor. II.
- III. Colloquia de rebus theologicis instituenda offert horis definiendis.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

- I. Theologiam dogmaticam tradet dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris hora X.
- II. Apologeticen tractabit diebus Lunae et Mercurii h. II.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Theologiae moralis partem generalem docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii h. IX—X.
- II. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit diebus Iovis, Veneris, Saturni h. IX—X.
- III. Antiquitates ecclesiasticas tradet bis per hebdomadem horis definiendis.
- IV. Repetitiones de theologia morali instituet semel per hebdomadem.
- V. De arte ecclesiastica disserere perget semel per hebd. hora definienda.

Lic. Hugo Weiss, P. P. E.

- I. Iobi librum interpretabitur ternis per hebd. scholis. h. VIII—IX.
- II. S. Pauli epistolas ad Galatas et Ephesios explicabit ter per hebd. h. VIII—IX.
- III. Grammaticam Syriacam docebit semel per hebd. hora definienda.

Prof. historiae ecclesiasticae et iuris canonici, quum renunciatus fuerit, lectiones indicabit.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Meteorologiam et climatologiam docebit, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Lunae et Iovis hora XI—XII.
- II. Aut trigonometriam geographicam tradet, aut theoriam sectionum conicarum explanabit diebus Martis et Veneris hora XI—XII.
- III. Calculum differentialem et integralem tradet et doctrinam de integralibus definitis ad varias quaestiones applicabit die Martis hora II—III et die Mercurii hora XI—XII.

Dr. Ios. Bender, P. P. O.

- I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebdomadam hora VIII.
- II. De Germanorum antiquitatibus, maxime de rebus mythologicis, disseret bis per hebdomadam hora VIII.
- III. Literarum in Prussia culturarum historiam exponet semel per hebdomadam hora VIII.
- IV. Repetitorium et disputatorium historicum instituet semel per hebdomadam hora definienda.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

- I. Metaphysicam docebit ter hora X.
- II. Psychologiam quater hora X.
- III. Darwini disciplinam explicabit et refutabit bis horis definiendis.

Dr. Guil. Weissbrodt, P. P. O.

- I. De poesi tragica Graecorum disseret ter hebdomade hora IX.
- II. Eusebii Caesarensis scripta enarrare perget bis hebdomade hora IX.
- III. Inscriptiones selectas graecas et latinas tractabit bis hebdomade.

Dr. Ios. Krause.

- I. Psychologiam docebit ter per hebdomadam hora X.
- II. Historiam philosophiae tradere perget semel per hebdomadam hora X.
- III. Exercitationes paedagogicas moderabitur semel per hebdomadam hora X.

PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest Prof. Lic. Weiss, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II.—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit Prof. Dr. Feldt.

CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Renuntiatio iudiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in currentem annum propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine litterario has quaestiones proposuerat:

I. Ex instituto Regio: Clementis Alexandrini de divitiis sententia ex libello eius, qui inscriptus est: *Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος*; eruatur et ponderetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Tertulliani de paganismo sententia exponatur.

De priore quaestione commentatio Ordini oblata est, his verbis inscripta: „Vende quaecunque habes et da pauperibus“. Matth. 19, 21. Quam qui conscripsit rem propositam apte digessit ac disposuit sententiamque Clementis Alexandrini de possessione usuque divitiarum recte plerumque eruit; in ponderanda vero diiudicandaque auctoris sui doctrina nec satis firmo nec proprio semper usus est iudicio, iusto plus recentiorum quorundam auctoritatem secutus. Quamvis igitur commentatio hisce laboret vitiis ipsumque dicendi genus limae cura saepius careat, tamen Ordo Theologorum auctori, quum in universum quaestioni propositae satisfecerit, praemium constitutum censuit concedendum esse.

Aperta schedula innotuit:

Iosephus Thidigk.

De altera quaestione libellus exhibitus est his verbis insignitus: „Principale crimen generis humani, summus saeculi reatus, tota causa iudicii idololatria“. Tertull. de idololatria c. 1.“ Cuius auctor Tertulliani de origine ac natura idololatriae, de ethnicorum theologumenis variisque vitae publicae ac privatae pravis institutis sententiam, scriptis Tertullianeis diligenter perlustratis, recte satisque dilucide exposuit, sermone usus, qui multis locis Tertulliani duram asperamque rationem redolet, ceteroquin apto et dextro. Quapropter Ordo Theologorum eum praemio dignum esse iure meritoque iudicavit.

Reclusa charta prodiit:

Paulus Jedzink.

Ordo Philosophorum ex instituto Regio hanc quaestionem proposuerat: „M. Tullii Ciceronis de iure, legibus ac republica sententia exponatur conferaturque cum doctrinis Graecorum philosophorum“. Commentatio Ordini oblata est una his verbis insignita:

Νόμοι . . . ὑψίποδες οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες ὧν Ὀλυμπος πατὴρ μόνος οὐδὲ θνατὰ φύσις ἀνέρον ἔτικτεν.

Quam qui conscripsit ad Ciceronis de legibus et de republica libros permultum studii adhibuit feliciterque eos tractavit, neque omnino nullam operam in Graecorum philosophia, quoad ea in republica versatur, posuit. Orationi latinae non accessit extrema manus, sed tamen aliquot loci elegantius scripti sunt. Quapropter Ordo commilitoni praemium constitutum tribuendum esse censuit.

Rescissa schedula prodiit nomen victoris:

Henric. Benjamin.

Stadtbibliothek Ubozz

In sequentem annum commilitonibus Lycei Regii Hosiani quaestiones proponuntur hae:

Ab Ordine Theologorum.

I. Ex instituto Regio: Quid veteres ecclesiae patres et scriptores de authentia Apocalypsis iudicaverint.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: In conferendo sacramento ordinis Orientales et Occidentales quomodo differant ex libris ritualibus utriusque ecclesiae patrumque testimoniis explicetur.

Ab Ordine Philosophorum.

Narretur vita Joannis Kepleri, nec non accurate exponantur eius leges de planetarum motibus, additis investigationibus per quas Keplerus in has leges incidit, ratione habita libri Kepleri qui inscribitur: De Stella Martis.

Certantium commentationes, priores sermone latino, tertia lingua vulgari scriptae, et more consueto signatae ante d. XV. M. Ianuarii a. MDCCCLXXV. Rectori Lycei tradendae sunt. Praemia victoribus constituta XXV. Impp.

Promulgatum in solemnibus Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi nataliciis die XXII. Martii anni MDCCCLXXIII.

Ordo Philosophorum ex iustitia Regis hanc questionem proponunt: An Deus sit
in se ipso necessarius? Quod si non sit necessarius, quomodo potest esse
causa mundi? Ad id respondetur: Deus est necessarius in se ipso, quia
si non esset, non foret causa mundi, et sic non foret Deus.

Quamvis enim philosophi ad hunc modum de deo sentiant, non tamen
omnes eandem sententiam habent. Quidam dicunt, deum esse necessarium
in se ipso, quia si non esset, non foret causa mundi, et sic non foret
Deus. Alii dicunt, deum esse necessarium in se ipso, quia si non
esset, non foret causa mundi, et sic non foret Deus.

Henricus Benjamin

In sequenti pagina committitur Leoni Hessi hanc questionem proponitur fact:

Ab Ordine Philosophorum.

I. An deus sit necessarius? Quod si non sit necessarius, quomodo potest
esse causa mundi? Ad id respondetur: Deus est necessarius in se ipso,
quia si non esset, non foret causa mundi, et sic non foret Deus.

Ab Ordine Philosophorum.

Quomodo sit deus necessarius? Quod si non sit necessarius, quomodo
potest esse causa mundi? Ad id respondetur: Deus est necessarius in se
ipso, quia si non esset, non foret causa mundi, et sic non foret Deus.

Deus est necessarius in se ipso, quia si non esset, non foret causa
mundi, et sic non foret Deus. Quod si non sit necessarius, quomodo
potest esse causa mundi? Ad id respondetur: Deus est necessarius in se
ipso, quia si non esset, non foret causa mundi, et sic non foret Deus.